

DISPUTATIO ETHICA,

De

ALCIBIADE,

in virtutibus pariter & vitiis, juxta

Cornelium Nepotem, excellente,

Quam,

divinâ favente gratiâ,

in florentissimâ Academiâ Wittebergenfi,

PRÆSIDE

DN. M. JOHANNNE MÜLLERO,

Facult. Philosoph. Adjuncto,


Examini publico,

ad diem 2. Decembr.

sistit

JOHANN BENJAMIN Schönfeld,

Penicensis Misnicus,



Ære publico MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXVI.

97.

a. LXXXI. 22.

Coll. diss. A
81, 22

ALCIBIADE

in der Bibliothek der Universität zu Göttingen

DR. M. JOHANN MÜLLER

JOHANN MÜLLER





Cum DEO !

§. 1.



St genus quoddam hominum, varium & inconstans in moribus suis, ut & vitiis obrui, nec tamen à virtutibus alienum esse videatur. A virtutum Doctōribus *Mixti* & *Ambigui* salutari | communiter consueverunt, eò quòd mores ambiguos & ex virtutibus pariter & vitiis mixtos habeant, & in iis virtutes (vel potiùs virtutum simulacra) paria ferè cum vitiis faciant. De quibus quidem Homericum illud commodè usurpari potest:

Τυδείδην δ' ἔκ' ἂν γνοίης, ποτέροισι μελείη,
 Ἡὲ' μετὰ Τρώεσσιν ὀρίλθοι, ἢ μετ' Ἀχαιοῖς.

i. e. Tydidem non novisses, quibus interesset,
 Utrum inter Trojanos versaretur, an inter Achivos.

Aliàs plurimis adhuc vocabulis Metaphoricis insigniuntur. Vocantur enim *Chamaleontes*. Nam ut Chamæleon modò hunc, modò illum colorem, sic illi, mutatis vicibus, aliam atqve aliam vivendi rationem induunt. Dicuntur *Vespertilioes*. Sicut enim vesperilio, ex vulgi sententiâ, (verè enim mus est, non avis,) ad aves unà & ad mures refertur: ita illi & virtuosus & vitiosus à vulgo Philosophorum adscribuntur. Porrò *Protei*, *Vertumni*, *Ambidextri*, *Versipelles*, *varii homines*, *Hermaphroditi*, *Hybrides*, *Monstra*, *Prodigia*, *ad utrumque parati*, Ἀμφίβολοι, Ἄλλοπρόσ-αλλοι, &c. apud Scriptores audiunt.

§. 2.

Hujus ingenii homines plures, cùm vetustiori, tum recentiori memoriâ, extitisse, historicorum loquuntur monumenta.

48
Sed nobis satis erit, pauca ex omni ætate documenta in medium adduxisse. Prodeant ante omnia *Græci*, naturâ suâ varii & simulationibus adſveti. In iis *Pausanias* cluere, Dux Spartaë, de quo *Cornelius Nepos*, Scriptor nitidissimus, refert, quòd, ut virtutibus eluxerit, sic vitis etiam fuerit obrutus. Nec prætereundus *Themistocles*, Atheniensis. Licet enim in hoc vitia ineuntis adolescentiæ magnis emendata sint virtutibus, ut idem Autor adserit: sine tamen vitiorum mixtura virtutes hæ non fluxerunt. Fatebitur id, qui vitam ejus, ab Historicis expositam, cum curâ perlegerit, inq; illa non pauca fraudis, calliditatis, injustitiæ & ambitionis deprehenderit argumenta. Quid *Philippum Macedonem*, quid filium ejus, *Alexandrum Magnum*, mundi domitorem, commemorem? Nam illius quidem cum virtuosæ tum vitiosæ actiones plurimæ à *Justino* literis sunt commendatæ. De hujus autem vitæ instituto, loco omnium, libet audire *Quintum Curtium*, qui ita, historiam suam, cum vita Alexandri clausurus: *Vis*, ait lib. 10. cap. 5. *incredibilis animi, laboris patientia propemodum nimia, fortitudo non inter Reges modò excellens, sed inter illos quoque, quorum hæc sola virtus fuit: Liberalitas sæpe majora tribuentis, quàm à Diis petuntur: clementia in devictos: tot regna aut reddita, quibus ea dempserat bello, aut dono data: mortis, cujus metus ceteros exanimat, perpetua contemptio: Jam pietas erga parentes, in omnes ferme amicos benignitas, erga milites benevolentia, consilium par magnitudini animi, & quantam vix poterat ætas ejus capere, solertia, modus immodicarum cupiditatum, &c. ingentes profectò dotes erant. Vitia, Diis æquare se, & cælestes honores appetere, & talia suadentibus oraculis credere, & dedignantibus venerari ipsum vehementius, quàm par esset, irasci: in externum habitum mutare corporis cultum, imitari devictarum gentium mores, quas ante victoriam spreverat. Iracundiam & cupidinem vini mitigare senectus potuisset. Græcis Hannibalem adnumeramus, Pœnum, in cujus recensendis laudibus cum multus fuisset *Senex Patavinus*, hæc tandem verba subjicit: *Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana credulitas, perfidia plusquam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus DEùm metus, nullum jusjurandum, nulla religio, &c.**

§. 3.

E Romanâ quoque Historiâ non pauca in aprico sunt exempla, ut ne hac quidem in re Romani Græcis cedere, quin potiùs eos superare voluisse videantur. De *Catilina*, peste certissima, Reipublicæ Romanæ futura, nisi eam in tempore evomisset, ita loquentem *Latina eloquentiæ parentem in oratione pro Cælio* audimus: *Neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisq; inter se pugnantis naturæ studiis conflatum. Quis Clarioribus Viris quondam conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hostis huic virtuti? Antonium Catilinæ simillimum fuisse, præ aliis luculenter in Philippicis suis idem Orator ostendit. Consuli etiam Plutarchus, vitam tradens Antonii, potest. Quid Sylla? Tam diversa, tamq; contraria studia in eo fuerunt, ut duplicem ac diversissimum animum habuisse à Vellejo credatur. Valerius etiam Maximus duos in uno Sylla fuisse homines dicit. Nec reticendus hic *Mæcenat*, cujus mentionem his verbis *Paterculus* antè nominatus facit: *Mæcenat, equestri, sed splendido genere natus, Vir, ubi res vigiliam exigebat, sanè exsomnia ac providens, atq; agendo sciens; simul verò aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiæ penè ultra fæminam fluens. Ita & Tiberium Cæsarem inter bona & mala mixtum fuisse, Tacitus, Scriptor prudentissimus, prodidit. Idem de Licinio Muciano ita memorat: Luxuriâ, industriâ, comitate, malis bonisq; artibus mixtus. Nimia voluptates, cum vacaret: quotiens expediret, magnæ virtutes.* Sed quid in compilandis veterum Historicorum scriniis operam perdo? Nam & quæ modò nos antecesserunt secula tali indole præditos homines tulere. Vis exempla? *Galeatium adspice Sfortiam, Ducem Mediolanensem, Alexandrum VI. & Leonem X. Pontifices Romanos, Richelium & Mazarinum, Cardinales Gallie, ac alios plures.* Imo nec nostro nunc tempore ejusmodi homines irregulares, ut ita liceat loqui, deficiunt. *Hi enim sunt illi, qui se Politicos hodie vocant, ait B. Bæclerus in Commentar. elegantiss. ad Corn. Nep. pag. 58.**

§. 4.

Omnibus tamen, quotquot unquam, post hominum memoriam, reperta sunt, ingeniis ambiguis, ambiguam reddidisse pal-

8
mam videtur *Alcibiades*, *Cliniæ* filius, *Atheniensis*. De eo enim *Nepos*, ubi *Imperatorum Græcorum Historiam* condit, ita disputat: *In hoc (Alcibiade) natura, quid efficere possit, videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoria prodiderunt, nihil eò fuisse excellentius, vel in vitiis, vel in virtutibus. Nam in amplissima Civitate, summo genere, omnium ætatis suæ multò formosissimus, ad omnes res aptus, consiliisq; plenus. Namq; Imperator summus fuit mari & terra, disertus, ut imprimis dicendo valeret: & tanta erat commendatio oris atq; orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere. Idem, cum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus non minùs in vitâ, quàm victu: affabilis, blandus, temporibus callidissimè inserviens. Idem, simul ac se remiserat, nec causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur, in uno homine tantam inesse dissimilitudinem, tamq; diversam naturam. Gemina his ferme sunt, quæ idem ille historicus elegantissimus sub calcem historiæ *Alcibiadis* affert. Dicit enim, (quamvis ex aliorum narratione,) *Alcibiadem, cum Athenis, splendidissima civitate, natus esset, omnes Athenienses splendore ac dignitate vitæ superasse. Postquam, inde expulsus, Thebas venerit, ad eò studiis eorum inserviisse, ut nemo eum labore corporisq; viribus potuerit æquiparare: omnes enim Bæotios magis firmitati corporis, quàm ingenii acumini, inservire solitos fuisse. Eundem apud Lacedæmonios, quorum moribus summa virtus in patientia posita fuerit, sic duritiæ se dedisse, ut parsimaniâ victus atq; cultus omnes Lacedæmonios vinceret. Fuisse apud Thracas, homines violentos, rebusq; veneris deditos: hos quoque his in rebus antecessisse. Venisse ad Persas, apud quos summa laus fuisset fortiter venari, luxuriosè vivere, horum sic imitatum consuetudinem, ut illi ipsi eum in his maximè admirarentur. Quibus rebus effecisse, ut apud quoscunq; esset, poneretur Princeps, habereturq; charissimus.**

S. 5.

Quæstio igitur exoritur: Quid statui debeat de hoc *Alcibiade*? Sitne in virtuosorum cooptandus numerum, an potius vitiosis accensendus? Equidem Historicis circa eam quæstionem multum

tum

tum dubitationis, ancipitisq; iudicii ac censuræ parùm liquidæ subnatum esse, noster innuit Cornelius, aliquoties nominatus, dum ait: *Hunc (Alcibiadem) infamatum à plerisque (cùm ab aliis, tum maximè ab Antiphone, & Lysia, Oratore, conf. Nott. Bosii ad h. l.) tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui ejusdem ætatis fuit: Theopompus, qui fuit post aliquandonatus: & Timæus. Qui quidem duo maledicentissimi, nescio quo modo, in illo uno laudando consenserunt. Videas porrò, qui expositis ejus bonis, expositis etiam malis, liberum cuiq; iudicium reliquerunt, suum suspenderunt.*

§ 6.

Si verò ex *Philosophia Morali* hæc debeat dirimi, pronuntiandum omnino censemus, *Alcibiadem non laude, sed vituperio dignum esse, cùm certè vitiis, nequaquam autem virtuti vera, fuerit deditus.* Etenim primò omnium, ut Ethici docent, ad virtutis actionem requiritur, ut ex *bonestâ promptâq; voluntate* proficiscatur. At neurrò modò se habuisse Alcibiadis voluntatem, res ipsa loquitur. Quomodo enim honestum appellare id queas, ex quo vitia maxima dimanant & nascuntur? Sanè dum nihil excellentius in vitiis Alcibiade fuisse, dum eum luxuriosum, dissolutum, libidinosum, intemperantem, ambitiosum extitisse, Nepos noster adserit, corruptum sanè in ipso omnis boni moris & bonæ actionis fontem ultrò fatetur. Nullus enim bonæ mentilocus esse potest, ubi hæc vitia dominantur. Porrò quomodo promptum ad bene agendum dicere id queas, quod tam crebrò in actum plane contrarium & malù incurrit. Ut ut ergò admittere possimus, Alcibiadem interdum *bona egisse*, inficiamur tamen omnino, *bene eundem fuisse operatum.* Quæ quidem duo totò cœlò differunt: cùm bona agat tantùm, quisquis agit, quod agunt boni: bene autem, qui eò modò & animò id agit, quò illi, i. e. ex habitu virtutis, constanter, liberè & honestatis gratiâ. Jam verò non à priori illo, quod est bona agere, sed à posteriori tantùm, quod bene agere est, virtuosi titulus reportari potest. Conf. Bœcler. in *Comment. supra adducto.*

§ 7.

§. 7.

At enim verò, habent statim in promptu nonnulli, quod hic excipiant: quem tamen ictum nos declinare sine negotio poterimus. Dicunt, *neminem adspirare ad perfectionem tantam in hac vita posse, ut ab omni crimine immunis vivat, & optimum etiam quemque à suis vitiis urgeri.* Utut ergò exorbitarit Alcibiades interdum, utut à virtutum regia deflexerit, non oportere tamen statim ut vitiosum hominem traduci. Adhibendam hic esse humanitatis trutinam, & contentione bonorum malorumq; factâ, si præponderent virtutes, virtuosum esse dicendum. Id nempe innuere volunt, quod *Asinius Pollio* apud *Senecam Rhetorem Suas. 7.* dum Ciceronis elogium, simulq; quædam in viro laudato non laudanda exsecutus, subjungit postea: *Sed quando mortalium nulli perfecta virtus contingit, quâ major pars vitæ atque ingenii stetit, eâ judicandum de homine est.* Accidisse scilicet ait Ciceroni in vita, quod cuidam in eloquentia, qui redimebat vitia virtutibus, *cùm plus haberet, quod laudares, quàm quod ignosceres.*

§. 8.

Equidem ego imbecillitatem nostram in hac mortali vita libens agnosco. Scio, eam esse caliginem *intellectus* humani, ut non usquequaque perspiciat rectèq; judicet, quid factò opus sit. *Voluntatem* quoque hominis ita depravatam esse novi, ut non semper amplectatur rectum *intellectus* de rebus agendis iudicium. Maximè verò illam *appetitûs sensitivi* perversitatem teneo, qui veluti gaudet ut plurimum refragari dictamini rectæ rationis, voluntatemq;, sæpenumero per se auditoram iudicium *intellectus*, in diversa rapere. Quibus omnibus de causis neminem sibi divinam & omnibus numeris perfectam vivendi rationem polliceri posse intelligo. Adverterunt id gentiles etiam homines, (quanquam fontem & originem tanti mali indagare nescirent,) sicut ejus rei plura testimonia colligere nunc possem, si necessitas id exigeret. Interea tamen, (ut jam non disputem, pluresne virtutes (fictæ,) an vitia in Alcibiade eluxerint: eò enim nondum ostensò, non potest adferri, virtutes in eo majoris ponderis fuisse)

fuisse)

fuisse,) si vitia sub virtutum cumulo abscondi debent, non ex deliberato consilio & peccandi habitu quodam ea profecta esse oportet. Nam quamvis omnia vitia per se quidem nullam mereantur veniam, quaedam tamen ex accidenti excusari humanitate, ferri æquitate, & inumbrari regi q; virtutibus possunt, si scilicet quis, vel errore intellectus impeditus, vel adfectu quodam & perturbatione animi citò abreptus, aliquando peccet, cæteram autem rectè agendo vitam omnibus probet. Si autem aliquis ex instituto & ex consuetudine peccandi delinqvat, ut quidem Alcibiades fecit, tunc ferendus non est, nec virtuosi nomen ampliùs tueri potest. Deinde *leviora* quidem vitia, qualia verbi gratiâ fuere in Fabio gloriolæ alicujus cupido, in Catone austeritas nimia & immoderatio vini usus, cæteris magnis multisq; virtutibus etiam suam gloriam detrahare & splendorem earum obfuscare nequeunt. Contrà tamen *scelera graviora*, libidines putà, adulteria, inexplebilis gloriæ cupido, injustitia, crudelitas, & id genus alia, quorum etiam non pauca Alcibiadi infuerunt, omnino de statu virtutis eum, quem occupârunt, dejiciunt, & vitiosum efficiunt. Aliàs *Augusti* Imperatoris quotidiana adulteria & libidines, *Trajani* sævitia in Christianos, & nescio quæ non vitia hominum, qui inter virtuosos vulgò referuntur, virtutum velò involverentur. Ad *Bæcler.* citat. ut & *Erasm. Johann. Broehm. Specim. Ethic. Histor. cap. 4.*

§. 9.

Hæc de primo argumento sufficient: nunc ad *secundum* veniemus. Virtus etenim & vitium examusim sibi invicem repugnant, ut passim inculcant ii, qui Philosophiam moralem interpretantur. Sicut ergò non potest fieri, ut duo opposita in eodem subjecto simul existant, veluti Dialectici loqvuntur: itaq; quoque virtutem & vitium eidem homini simul inesse, vel infuisse, inconveniens est statuere. *Fieri non potest, ut turpitudine introeat eò, ubi virtus honestumq; habitant: neque est in eodem peccatore ullum honestorum turpiumq; consortium,* præclare ait *Quintilianus.* Itaq; quodcumque eluxit præclarum in Alcibiade aliquando, illud omne non virtutes, sed virtutum ludibria ac præ-

B stigias

stigias existimamus: quas utut maximo studio magnis factis involverit naturæ generositas, non potuit tamen dissimulare adeò, quin erumperent, simul ac pateret occasio. Etenim cum semel obrepserit animo vitia, quicquid fingas in speciem, durabit parùm, & ut maximè celare studeas turpitudinem, prodes tamen aliquando, perpetuòq; in iis, quæ constanti actu nunquam excreverunt in habitum, inæqualiter ages.

§. 10.

Verùm est & hîc, quod in contrarium obverti solet. Objiciuntur scilicet exempla *Mixtorum & Ambiguorum*, quorum passim & Philosophi & Historici mentionem injiciunt, & quorum etiam nos ipsi plures in limine hujus tractationis nominavimus. Quare si omni memoriâ fuerunt inventi, qui virtutum pariter & vitiorum studio clari essent, quidni etiam Alcibiades in hanc classem collocari queat? At enim non censendum est, Mixtos illos à virtuosis aut vitiosis ex veritate rei distingvi. Declaro rem simili aliquo. Ut enim *actiones Mixte*, quas Ethici vocant, non novum genus à voluntariis & non-voluntariis actionibus constituunt, sed ad alterutram classem harum, (à nobis quidem rectissimè ad voluntarias) reducuntur: ita & Mixta illa ingenia non novum genus hominum in Philosophia Morum efficiunt, à Bonis & Malis, sive vitiosis ac virtuosis diversum; sed omnino ad eos qui adhærent vitiis, pertinent, cum verè turpem vivendi rationem sequantur, quamvis externò gestu fucum aliquem hominibus facere didicerint. Graviter iterum, ut solet, *Bæclerus* pronunciat: *Frustra mihi quorundam ἡμιπρόντος, ex parte malum suggeris: nam ex parte malus, severâ estimatione, est honora & in speciem adornata pessimi descriptio: sicut ἡμιχρῆνος, quodammodò bonus, malum seriò significat.* Et *Forstnerus* nott. ad 3. *Tacit. annal.* inquit: *Ego, ut industriam, solertiam, vigilantem semper & intentum rebus animum probo: ita istam virtutum & vitiorum callidam mixturam, tanquam pietati Christianæ & honestati civili adversam, non laudem, sed vituperium, imo pœnam mereri arbitror.* Certè *DEUS*, cui simplices & sinceri corde placent, non impunitam sinet, &c. Conf. *Excellentiss. Dn. Kirchmajer Nott. ad Cornel. Nepot. Alcibiadem p. 342. & 245.*

§. II.

Accedimus ad *argumentum tertium*: Docent Philosophi, virtutes Ethicas tam arcto vinculo inter se esse connexas, ut qui amittit unam, statim omnes deperdat. Audiamus hâc de re disputantem *Ciceronem in 2. Tusculan. Quest. ad M. Brutum*: Si unam, (dicit) virtutem, confessus fueris, te non habere, nullam te esse habiturum, fatearis oportet. Non enim, ut, si quid vasorum Corinthiorum ex auro argentoque elegantium & pretiosorum amissum est, reliqua nihilominus supellex salva manere potest, aqvè, unâ virtute amissâ, ceteræ tamen adesse queunt. Virtutum namq; vinculum arctissimum est, adeò, ut etiam sanguinis vinculo illud arctius esse, quidam dicere non erubuerint. Conf. etiam *Plato in Sophista ac Protagora & lib. IV. de Republica & Aristot. lib. 6. Ethic. cap. 13.* Causa est, quia nulla virtus sine prudentia sive rectâ ratione atque sine honestate, neque recta ratio & honestas sine virtutibus esse & consistere possunt. Dum autem cum rectâ ratione & honestate ita sunt connexæ virtutes, inter se quoque connexas eas esse oportet, juxta illud communi usu tritum: Quæ jugata cum quodam tertio sunt, inter se quoque sunt jugata. Ex quo quidem consequitur, si vel maximè concedamus, Alcibiadem non in omnia vitia consensisse, sed in quædam tantummodò prolapsus esse, hætenus tamen virtuti deditum fuisse vel excelluisse in virtutibus dici non posse, quia saltem aliquibus vitiis mentem, contaminasset. Quamquam vix invenietur vitium, cui ille se non mancipasse videbitur, si accuratè perlegamus qui de ejus vita & moribus exposuerunt.

§. 12.

Sed & hanc rationem quidam non vellicare non possunt, contendentes partim, neminem esse in mundo, qui virtutes omnes possidere atque exercere possit, partim producentes in medium exempla hominum, qui in una virtute, exempli gratiâ, Fortitudine, Justitia, &c. excelluerunt, in altera autem planè defecerunt. Sed ad primum istud respondeo, debere omnino eum, qui felicitatis practicæ sive Summi Boni particeps esse vult, toto

B 2

virtu-

virtutum choro instructum esse: & ejusmodi quoque hominem non unum inventum esse, probare, si opus foret, possem. Quamvis autem non semper exercere omnes virtutes queat actu, vel ob facultatum & instrumentorum inopiam, vel ob impedimentum aliud, sufficit tamen, si Habitu cunctas teneat, & animum adferat in actum deducendi eas, quoties occasio sese suggerit, & ut Comicus loquitur, fenestra actioni bonæ aperitur, ut erumpere possit. Ad alterum hoc regerimus, si quis videatur esse fortis, & non sit simul temperans, vel temperans, & non sit justus, & sic in aliis, eum non veram fortitudinem, non veram temperantiam &c: sed simulacra tantum harum virtutum habere, vel certe virtutes istas valde imperfectè possidere.

§. 13.

Restat argumentum quartum: Etenim ita sentio, atque sic animum induco meum, Alcibiadi ea, ex quibus virtus fit & nascitur quasi, institutionem scilicet & exercitium, defuisse. Quare etiam ad verarum virtutum culmen adscendere haudquaquam potuit. Non utar hinc meis, sed *Beati Bossi* verbis. Sic enim ille in *Notis ad Nepotem* ait: *Erat quidem Alcibiadi acre ingenium, sed mens perversa, potentiam & opes potius, quam virtutem & sapientiam querens. Socrates autem insitas vitiorum fibras, quantum posset, evellere conabatur, & ab ambitione, pravisdq; cupiditatibus hominem detererebat. Hujus disciplinae impatiens Alcibiades, mox preceptorem deseruit; sed suo ipse malo, ut solent, qui perfunctorie literis operam dant, nec, ut Deo & patrie aliquando rectè serviant, sed ut ditescant & extollantur, eas colunt. Dein à suis ob corporis & ingenii bona passim expetit, potentia & honore ornatus, iisdem fretus & tumidus, vere virtutis cultum neglexit. Velut autem, qui corpore non exercent, corporis actiones obire non possunt, ita nec animi actiones perficere, qui animum non excolunt. Hec Plato in Alcibiade primo, & Xenophon libr. 1. memorab. Socratis fusiùs deducunt. Hinc illud mixtum & inæquale ingenium: quod, cum solidam sapientiam non hausisset, modò virtutibus, aut potius virtutum simulacris, modò vitiis eminebat.*

§. 14.

§. 14.

Sed, age, excutiamus tandem diligentius virtutes singulas, quas Nepos noster Alcibiadi tribuit, & apparebit, mera fuisse simulacra, virtutum specie oculis hominum tantum blandientia. Nam quod primo Imperator fuit summus mari & terra, ex eo nondum Fortitudinis verae gloriam promeritus est. Fortem hominem sola honestas, non proprium aliquod commodum, ad fortiter agendum invitat. Hinc est, quod Philosophus in speciebus adulterinis fortitudinis etiam eam recenseat, quando homines praemio aliquo inducti arma capessunt. Alcibiadem vero, ut potentiam suam stabiliret, & rerum unus omnium potiretur, bellum gessisse Thucydides autor est. Cui rei vel illud argumento esse potest, quod oratione habitam Athenienses ad bellum accenderit, seque ipsum in eo Imperatorem postulavit, ut idem refert. Quam ipsam quoque de causa Imperator non magis defendit patriam, quam terruit. Nec deinde, quod liberalis & splendidus non minus in vita, quam victu dicitur fuisse, Magnifici nomine superbire jure potest. In res dignas, quae vel Dei cultum promovent, vel Reipublicae profunt, vel splendorem familiae augent, Magnificencia vera pecunias erogat, & facultatum juxta rationem habet, ne earum modum excedat, in turpem alias luxum degeneratura. Contra Alcibiades, si iterum fidem adhibemus Thucydidi, largius, quam patiebantur facultates, promebat nummos, & ad inania plerumque, maxime ad alendos generosos equos, sumtus convertibat. Adde, quod non propter honestatem impensas faceret: sed, ut potentiae opinionem adferret civitati, ut ostenderet, non esse sibi cives caeteros aequales, ut patria aliquando gloriari posset, se tales cives habuisse. vid. eund. Thucyd. libr. 6.

§. 15.

Quid denique de affabilitate & blandis ejus gestibus verba faciam? quid de prudentia, quam & temporibus serviebat callidissime, & ad omnium non hominum tantum singulorum, sed & gentium, ad quas accederet, integrarum nutum se componebat, tot vultus, tot

B 3

personas

personas induens & exuens iterum, edifferam? Equidem non comi-
 tatis hîc aut humanitatis alicujus, sed meræ assentationis turpis-
 que simulationis vestigia agnosco. Affabilem se & blandum
 gerere erga homines, apud omnes in laude ponitur: sed & ani-
 mus adsit oportet, & verbis gestibusque cor respondeat. Ita & in-
 servire tempori, multum læpe prodest, & inter prudentis viri de-
 cora communiter numeratur: verùm calliditas abesse debet, ut
 non commodi, aut voluptatis nostræ causâ, spretâ justî honesti q̄;
 ratione, omni opportunitati obsequamur. Tandem accom-
 modare se moribus & ingeniis aliorum cum ratione, in civilita-
 tis legibus habetur. At enim verò non decet, ut vitiis aliorum
 vel apertè blandiamur, vel tacitè annuamus: multò minùs, ut ex-
 primamus aliorum turpitudinem, aut, quæ ab honestate remota
 sunt, offensionis vitandæ ergò, faciamus. Quæ quidem omnia
 cùm non attenderet Alcibiades, sicuti circumstantiæ cunctæ o-
 stendunt, liquet, eum Scriptorum Ethicorum censuram meritò
 incurrere, & verè virtuosus adscribi haudquaquam posse.

§. 16.

Quare his ita sese habentibus, non incongruè faciemus, si
 Dissertationem hanc nostram obsignemus verbis *Bæcleri*, quæ
 habet in Commentario toties laudato: *Expectatis, opinor, ut de*
Alcibiade, cujus exemplum in hunc nos sermonem induxit, addam,
quæ sentio. Agam, sine figura: Magnam naturam ad magnas ma-
las artes eò usq̄, convertit, ut prestigator publicus, ludibrium secu-
lorum, & Agvrtæ, mango vanitatum, insistor mali moris, architectus
fraudis, exemplum levitatis, pater ardelionum, improborum deniq̄,
Politicorum Princeps apud omnes & haberi & dici mereatur. Neq̄
quisquam mihi quæ à viro malo bona præclaræq̄, gesta sunt, objece-
rit. Non reddunt illa bonum, incusant potius pravitatem ejus, quæ
virtutis studio diversa omnia prætulit: de quâ re ut amplius
verba faciam, neq̄, ratio temporis, neq̄, vestra
adeò prudentia postulat.

SOLI DEO GLORIA.

Non

Non sufficit domi libellis immori,
 Sed parta producenda doctrina est foras,
 Opesque collectas oportet promere.
 Qvod dum facis, SCHÖNFELDE, gratulor
 His laude dignis ausibus Tuis, Deum
 Precatus, ut industriam, quam literis
 Impendis, ad scopum secundum provehat.

scrib.

P R Æ S E S.

Hier streitet die Natur und niemals müde Fleiß/
 In dem ein schönes Feld bey diesem Winter trā-
 get

Die allerreinste Frucht zum steten Ehren Preis/
 Dem/ der den Acker hat nicht ohne Müh geheget.
 Zwar Sommerfrüchte bringt ein iedes leichte
 Land:

Was aber tauern soll/ muß fettes Erdreich haben/
 Mit dem sich wohl vergleicht / Herr **BEZLER**/
 sein Verstand/

Vnd/ die er an sich hat/ der Tugend edle Gaben.
 Drum ist das Vaterland nunmehr höchst ver-
 gnügt/

Daß es sich kan nach Wuntsch an seiner Frucht ergetzen/
 Vnd ist bereit / wenn er hat rühmlichst obgesiegt/
 Ihn auff den Ehren-Thron mit höchsten Ruhm zu setzē.

Aus devoir setzte dieses
Johann Georg Züchel/
 Penicens, Misa, J. C.

Qvei

QVeis viis Apollo iussit
Ire, qvò Te Musa duxit,
Tu secutus, templa Pindi
Nunc tenes, ostendis artes,
Qvæ nisi labore constant.
Leucoris plaudit, Patriqve spem prolixam sug-
gerit.

Perge, qvò Te mentis ardor
Evehit, sudando vincis,
Qvod vel arduum putabas:
Nos tuos juvamus ausus
Voce. Mi SCHÖNFELDE pandit
Perge, *pulcher ecce campus*, qvò datur de-
currere.

Hæc ex animo suo Amico à teneris annis cognito
& in paucis charo scribebat

M. THEODORUS THOMÆ,
SS. Theol. Stud.



Coll. di. ss. A. 89, misc. 22